

testatem redacta, spectare contenderent, atque incolis gravissimis minis, ac poenis, ne ulli, præterquam Suleimano obtemperarent, interdixerant. Nova hæc, & inopinata Venetis cum rei ipsius gravitate, tum Jaderæ civitatis tuendæ causa fuere. Verum id jus Reipublicæ iis in locis erat, ut cum circumjectus ager ad urbem, non ad minora oppida pertineret, præfectorum tantummodo libidini, atque avaritiæ obsistendum esset. Re cognita, Suleimanus negotium ad Chersegi præfectum, ac duos judices, quos *Cadi* Turcæ vocant, rejicit, qui cum Venetis ea de re statuerent. A Patribus negotium Marco Antonio Franciscio, scribæ a Secretis, committitur, qui Byzantio a legato in Illyricum hujus ipsius negotii causa missus fuerat: sed res diu multis contentionibus extracta non nisi post aliquot annos perducere ad exitum potuit. Hoc eodem anno Petrus Landus, Princeps, senio confectus, nam quintum & octogesimum annum exegerat, ex humanis excessit, magistratibus domi, ac foris integre, & prudenter perfunctus, cum sex annos, decemque menses Rempublicam gessisset: in funere a Michaele Barocio laudatus est, in divi Antonii Fano conditus: duæ pro foribus illius marmoreæ inspiciuntur statuae; altera classis imperatorem, altera Principem exprimit. In defuncti locum Franciscus Donatus summo Patrum consensu Princeps creatus est.

1545

*Suleimanus
Chersegi
præfecto,
Veneti
Marco An-
tonio Fran-
ciscio nego-
tium finium
demandat.*

*Petri Lan-
di Principis
obitus.*

*Franciscus
Donatus
Princeps
creatur.*

M. D. XXXXVI.

Qui Principum animus, quive reipublicæ christianæ status esset, ineunte anno M. D. XXXXVI. ambigendi locus non erat; in Cæsare, ac Rege, Aureliani Ducis obitu, consopita veterum injuriarum semina reviviscere cœperant. Spe Mediolani potiundi Rex dejectus, Allobrogum Duci Subalpina oppida pernegare; Cæsar Germaniæ tumultibus distineri, iisque, ne statim in Regem arma converteret, remorari. Inter hæc Pontifex Farnesiæ familiæ amplificandæ desiderio æstuar: novo, atque inexpectato consilio Parmæ, & Placentiæ urbes Petro Aloysio filio beneficiario jure tradiderat, ea conditione, ut singulis annis octo aureorum millia pensionis nomine Ecclesiæ penderet, Camertiumque principatum, ac Nepe

1546

*Franciscus
Rex Cisal-
pina oppida
Allobrogum
Duci dene-
gat.
Paulus Pon-
tifex Parmæ
&
Placentiam
Petro Aloy-
sio tradit.*